


Wolff  
1647









DEO OPTIMO MAXIMO FORTUNANTE  
ENODATIONEM 1647 11/1  
LEG. XIX. XX. TIT.  
PANDECTARUM 19  
POSTREMI,

Quæstionibus materiæ subjectæ  
convenientibus illustratam, & ad disputandum!

*In Inchtâ Leucoreâ*

Ex Decreto atq; Authoritate Amplissimi  
Collegij Juridici propositam,

PRÆSIDE

HENRICO COSELIO  
de Pezlinovez J. U. D. &c.

*Placido Eruditorum Examine  
subjiciet*

DAVID CICHORIUS,

Hoerschvverdâ-Lufatus.

*Ad diem 21. Augusti.*

horis & loco consvetis.

\*\*\*\*\*

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

ANNO M DC XLVII.



DEO OPTIMO MAXIMO FORTUNANTE

ERODATIONEM

LEG. XIX. XX. TIT.

PANDECTARUM

POSTREMI

Questionibus nactis subiectis

conventibus illustratis & ad disputandum

in hunc locum

Ex Decreto sup. Honorifice Amplissimi

Collegii Juridici propositum

PRÆSIDIS

HENRICO COSELLO

in Paderborn J. U. D. &c.

Publici Studii Examinis

scriptum

DAVID CICHORIUS

in hunc locum

Abdum et Augusti

hunc & loco conlat

WILHELMUS HONNIG

Typo Johanne Honnig in Paderb.

ANNO M DC LXXII







I. N. J.

LEX XIX.



*U*ti cum alio, contrahit, vel est, vel debet esse non ignarus conditionis ejus] h. e. utrum is qui aliquid vendit, qui stipulatus est, servus, an liber, filiusfamilias, an paterfamilias sit; emptor aut promissor ignorare non debet: cum plurimi contrahentium interfit, ut alter alterius conditionem probè exploratam habeat. Contingere enim facile potest, ut ei credatur, à quo repetitio haberi non potest; cum eo societas ineatur, ex cujus personâ damni plus quam lucri percipitur; &c. Quod si igitur quis ignarus conditionis ejus cum quo contrahit, damni quid ex isto contractu acceperit, jacturam istam nulli alii quam sibi adscribat, cum melius & diligentius, conditionem ejus explorare debuerit, nec tamen fecerit, *arg. l. quod te mibi 5. ibi: tuum fore id detrimentum constat. D. de Reb. Credit.* Exemplum hujus explicationis desumi potest *ex l. penult. & tot. tit. D. de SCT. Macedon.* Si quis enim filiofamilias mutuo pecuniam dederit, quam ipse immodicis commestationibus consumpserit, eam repetere minimè potest, obstante nimirum exceptione SCi Macedoniani, quæ non solum filiofamilias, sed etiam ejus parenti, & utriusque successoribus, itemque & fidejussoribus competit, *l. item si 7. § quamquam 10. l. sed si 9. § non solum 3. D. de SCTo Macedon. l. si filius 6. C. eod. vid. Zanger. in tractat. de Except. p. 3. c. 12.* Neque etiam exceptionem hanc sibi, mutuum repetenti, oppositam, excludere sub hoc prætextu potest, quod filiumfamilias eum esse nesciverit: cum in conditionem illius diligentius inquirere debuisset, *arg. d. l. penult. D. dict. tit. junct. h. l. nostrâ. nisi justa simplicitate deceptus sit l. si quis 3. in princ. D. de SCTo Macedon. l. 1. C. eod.* Ex hæc re-

C 2

gulâ



gulâ etiam infertur, quod qui fidejussorem accepit minus idoneum, sive hoc sciens sive ignorans fecit, non possit eum reprobare, & fidejussorem magis idoneum petere. Debuit enim facultates ejus prius diligentius explorare *l. qui satisfacere 3. in fin. D. de Fidejussorib.* Eodem quoque modo, si quis rem furtivam emerit, non solum cogitur eandem domino restituere, sed etiam pretio suo carebit, & rectè ei Imperat. responsum objici poterit; DISCE CAUTIUS MERCARI, ne non tantum indamna hujusmodi, sed etiam in criminis suspicionem incidas *l. in civilem 2. C. de Furt. vid. Finckelthaus. in Observat. pract. Observat. § 6.* Plura exempla tradunt *Regulif. hic. vid. Revard. & alii.* Porro sciendum hoc in loco est, cum sub contrahendi verbo & distractus, hoc est, solutio veniat, & intelligatur *l. si quis absentis 5. § is quoq. 3. D. de O. & A.* regulam hanc in utramque partem valere. Si itaque pupillo quis solvat, licet ignorans id fecerit, non excusabitur. *l. pupillo 15. D. de Solutionib. vid. Hyppolit. à Collib. hic.* Sed jam quaeritur.

Utrum principium hujus *L.* locum etiam habeat in causis matrimonialibus, si quis, v. g. vitiatam & corruptam ab alio, quam tamen ipse putat esse virginem, in uxorem duxerit? N. Qui enim contrahit, facile inquirere potest in conditionem ejus, cum quo contrahit; utrum nimirum pupillus sit, filiusfamilias vel prodigus. Aliter tamen se res habet in muliere, quæ pro virgine se venditat, cum sit corrupta; Hanc enim omnes pro virgine habent. Ejus igitur conditio inquire non debet, cum præsumptionem pro se habeat, quod sit honesta. *vid. Jacob. Menoch. lib. 6. presumpt. 89. in princ. Speckhan. Cent. 2. cl. quest. 9.* Præterea vitiatam ignoranter ab aliquo ductam, repudiare posse, rationes sequentes, partim ex Divino, partim ex Civili jure depromptæ, optimè probant, atque evincunt. 1. Non parum facit ad firmandam hanc sententiam *Deuteron. cap. 22. vers. 20. 21.* Ubi lex Divina non modo hoc casu divortium permittit, sed quod severius est, corruptam capitali supplicio affici jubet. Quo ipso luculenter probatur, Lege divinâ permissum fuisse hoc casu divortium; *gloss. ad. c. satis, in verb. lapidaretur. 33. quest. 5.* Et quam-

vis



vis L. ista forensis Mosaica nos amplius, sublatâ politiâ Mosat-  
câ, ad observantiam non adstringat; attamen munit conscien-  
tias, quia ex testimonio L. Divinæ quilibet iudex certus esse  
potest, se non facere contra voluntatem Dei. 2. Matrimonium  
solo consensu contrahitur *c. cum locum 14. X. de Sponsalib.* Erran-  
tis autem nullus est consensus *l. non idcirco 9. C. de Jur. & Fact.*  
*ignorant. E.* Et hoc est quod scribit *D. Chrysostronus*: Sicuti crude-  
lis & iniquus est, qui castam dimittit uxorem, sic fatuum esse ac  
injustum, qui retinet meretricem, eumq; patronum omnis sce-  
leris, qui celat crimen uxoris. *vid. c. sicut. 32. quest. 1. ubi dicitur:*  
*Sicut crudelis est & iniquus, qui castam dimittit, sic fatuus est & in-*  
*justus, qui retinet meretricem & c.* 3. Contractus dolo initi nullius  
sunt momenti, nec ab invitâ parte decceptâ custodiendi *l. & ele-*  
*ganter 7. in princ. D. de dol. mal. l. Jurisgentium conventiones 7. § ait*  
*Prator 7. D. de Pact.* Quis jam negabit ex parte sponsæ dolum  
fuisse commissum, dum pro meretrice se castam, pro gravidâ  
virginem gessit. Nec refert quod dolus, hic non det causam  
contractui (*Secund. Dissent.*) sed solum sit incidens, qualis non  
solet vitare contractus: etsi enim dolus incidens non faciat,  
ut matrimonium ipso jure sit nullum, operatur tamen id, ut  
contractus per actionem vel exceptionem rescindatur & resol-  
vatur. *text. notabil. in l. si dolo 5. ibi: rescindi venditionem jubebit. C.*  
*de rescind. vendit. cui add l. ex empto u. § si quis virginem 5. in su. D.*  
*de Act. empt. & vendit.* Cæterum, licet hæc sententia verissima  
sit, & à Consistoriis approbata, cautè tamen hoc casu proceden-  
dum, nec facilè divortium, si ullo modo hoc impediri potest,  
permittendum esse, monent *Joachim. à Beust. de matrim. lib. 2. c. 34.*  
*Johan. Schneidw. ad tit. Inst. de Nupt. part. 4. n. 61.* Imprimis verò in-  
vestigandum est, an ab eo tempore quo maritus intellexit, suam  
sponsam ab alio corruptam esse, eam postea cognoverit: quia  
si hoc factum sit, divortium non est concedendum. Maritus  
enim sciens suam sponsam viciatam esse ab alio, & nihilominus  
eam ut maritus cognoscens, sive hoc fiat ante nuptias sive post,  
ipso facto in conjugium consentit, & amplius stupri accusare  
mulierem non potest, cujus mores hoc facto approbavit. *l. si*



*uxor 13. § fin. D. ad L. Jul. de adult.* Deinde etiam summo studio tentanda est reconciliatio, & eò allaborandum, ut deceptus uxorem retineat; præsertim si est moderata, & ubi est spes emendationis; Et non tantum semel, sed sæpius tentanda est reconciliatio, quæ si obtineri & perfici non poterit, pars innocens & sic enormiter læsa, libera pronunciatur, non tantum quoad thorum, sed etiam ut alteri nubere possit. *arg. l. consensu 8. § virum 5. C. de Repud. vid. Sebneidw. loc. sup. cit. Dn. Carpz. in 7. P. F. R. S. p. 4. c. 20. d. 10. & in prax. criminal. p. 2. quest. 63. num. 54. 55. & seqq. Luther. tom. 5. Jen. German. fol. 250. & tom. 6. Jen. fol. 530. Alberic. Gentil. lib. 6. de nupt. cap. 13. Joach. à Beust. d. c. 34. Matth. Stephani cent. 1. quest. Illustr. 63. Hœn. diss. 2. contr. 9. quest. 2. præ cæteris verò Harprecht ad. § sunt & alia 11. Inst. d. Nupt. num. 61. 62. 63. & seqq. usq. ad n. 130. ubi Dissent. argument. r. solvit.*

*Heredi autem hoc imputari non potest* In hisce verbis traditur regulæ exceptio. Æquitas enim ipsa suadet, ut ei succurratur, quem quid facere necessitas coëgit *arg. l. fidejussor 7. § 1. D. Qui satisfac. cogant.* Heres autem necessariò aliquid facere cogitur, nimirum ob voluntatem testatoris, proinde ei, ut contrahentibus, protinus non imputatur, si legatariorum, aliorumve creditorum, conditionem & statum exactè adeò exploratum non habuerit. Unde notabilis infertur decisio, quod, quando debitor defunctus promisit sub pœnâ se soluturum ad certum tempus, heres ejus excusandus sit à pœnâ, si ignoraverit. Itaque restitui potest in integrum contra pœnam commissam ex generali clausula: *Si qua mihi justa causa videbitur.* *arg. l. 1. § 1. in fin. D. Ex quib. caus. major XXV. ann. & c. Dyn. ad. c. cum quis in jus succedit alterius 14. de R. Jur. in 6.* Hæc igitur vera est differentiæ inter contrahentem & heredem ratio, quod heredis obligatio sit necessaria, contrahentis verò voluntaria. *Dd. commun. hic.* Sed jam quæritur:

Utrum ab herede ignorante filiofamilias legatum solvi possit? *Hottoman. lib. 5. observat. c. 19.* negativam tuetur, motus potissimum argumento, ex *l. si usufructus 14. § si ita quis 2. D. Quand. dies legat. ced.* à contrario sensu extracto. Verum cum  
talis



talis argumentatio non admittatur, potissimum quando intellectus absurdus inde nascitur. *Eberhard. in topic. legal. in loco à contrario sensu.* Magis placet affirmantium sententia, per *l. banc nostram.* Neq; etiam ipsi heredi ignorantia imputari potest, cum non sponte cum legatariis contrahit, id est cum ipse non eligat sibi legatarios, sed in eos incidat per aditionem hereditatis *d. l. 1. § 2. ibi: nec imputari heredi: ubi Gothfred. D. Quand. dies legat. ced.* Constat quoque heredem legatorum nomine quasi ex contractu obligatum esse. *l. 5. § 2. D. de O. & A. § heres 5. Instit. de obligat. que ex quasi contract. nascunt.* eoq; sensu cum legatariis contrahere dicitur. Cum itaque expressè Ulpianus subjiciat heredem sponte cum legatariis non contrahere; hoc est, suâ voluntate legatariis ex quasi contractu obligatum non esse, idcirco videtur etiam satis perspicuum, tum demum de conditione ejus cum quo contrahitur, eum qui contrahit debere certum esse, eum non coactus, sed suâ sponte, hoc est, propriâ suâ voluntate contrahit. Habet enim is qui sponte contrahit & tempus & locum plenius de liberandi, quod tamen nec heredi testamentario, nec ei etiam interdum conceditur, cui incumbit navigandi necessitas *vid. l. 1. in pr. D. de Exerc. act.* Præterea cum etiam adversus alios creditores heres justam habeat ignorantia causam *per text. notabil. in l. qui in alterius locum 42. D. de R. Jur. & c. cum quis in jus succedit 14. eod. in 6.* ut non ita facile iis solvere cogatur, ac si suâ sponte contraxisset, utique hæc ipsi prodesse poterit etiam adversus legatarios. Hisce adde *l. defensor 22. D. de tut. & rationibus distrabend. nec non Cujac. lib. 7. observat. c. 36. & Regulist. hic.*

*Cum non sponte cum legatariis contrahit*] Contrahit quidem, vel potius videtur contrahere, (sicut jam dictum est) nec modo cum legatariis, sed & cum creditoribus, adeundo scilicet hereditatem *l. apud Julianum 3. § final. ibi: etenim videtur impubes contrahere cum adiit hereditatem. D. Quib. ex caus. in possess. eatur.* Verum quia non sponte contrahit heres, nihil est quod ei imputetur. Quamobrem & habitum à defuncto contractum ignorare potest. *Pet. Fab. hic in fin.*

§ 1.



§ 1. *Non solet exceptio doli*] Est autem exceptio doli, quæ compe-  
tit adversus eum, qui dolo malo quid petit quovis modo *l. 1. l. 2.*  
*§ item queritur 4. § § seq. l. dolo D. de dol. mal. § met. except.* De-  
finitur autem ex sententia *Labronis & Ulpiani* dolus, ut sit omnis  
calliditas, fallacia, machinatio, ad circumveniendum, fallen-  
dum & decipiendum adhibita *l. 1. § 2. v. itaq. D. de dolo mal.* Quo-  
nam verò veteres etiam bonum dolum dicebant, & pro solertiâ  
hoc nomen accipiebant, maximè si adversus hostes aut latrones  
quis machinaretur: non fuit contentus Prætor dolum dicere,  
sed adjecit *malum*, ut nomen homonymum hæc adjectione fuerit  
distinguendum, quo sciretur, quem dolum Prætor notaret *l. 1. §*  
*non fuit 3. D. d. tit. Wesenb. in eod. Zang de Except. p. 3. c. 13. num. 4.*  
*Gilhaus. in arbor. judic. c. 5. ramuscul. de Except. 10. num. 104* Causam  
cur Prætor hanc exceptionem proposuerit hanc esse scribit Pau-  
lus, ne cui dolus suus per occasionem juris Civilis contra natu-  
ralem æquitatem proficiat *l. 1. § 1. D. de dol. mal. § met. except.* Etenim  
qui dolo sive calliditate inductus & illectus quippiam promisit  
ut contractu aliquo ipso jure tenetur & obstrictus est: quoniam  
dolos contractum ipso jure non vitiat *l. si quis 36. D. de V. O. l. dolo.*  
*§ C. de inutilib. stipulat. vid. Wesenb. in de dol. mal. num. 1. Bronch.*  
*enant. cent. 1. assert. 57.* quia scilicet qui se alterius calliditate cir-  
cumveniri passus est, videtur suam ipsius simplicitatem accusa-  
re debere, cum jura vigilantibus succurrant, non autem negli-  
gentibus *l. non enim 16. D. ex quib. caus. maj. l. regula 9. § ult. D. de jur.*  
*§ fact. ignorant.* Verumtamen ne cui dolus suus per occasionem  
juris civilis contra æquitatem naturalem proficiat: exceptionem  
doli Prætor proposuit, per quam Reus calliditate alterius cir-  
cumscriptus & deceptus se tueri atque condemnationem effu-  
gere possit *d. l. § 1. D. de dol. mal. § met. except.* Pugnat siquidem  
cum naturali ratione, ut dolus cum alterius detrimento alicui  
quæstuosus sit: sicque alter cum alterius injuriâ locupletetur  
*l. ne ex dolo 12. D. de dol. mal. l. in fundo 38. D. de R. Vindicat. Harp-*  
*precht. ad § 1. Inst. de Except. num. 17. Zanger. d. l. num. 9.* Est autem  
hæc exceptio duplex: Specialis nimirum & generalis *l. palam est*



2. in princ. §. §. generaliter 5. D. de dol. mal. & met. except. Donell.  
lib. 22. cap. 6. in pr. Boc. p. 2. cl. 6. disput. 12. th. 12. Specialis exceptio  
doli est, quæ nascitur ex eadem causa, ex quâ actio de dolo: ut  
quæ hanc unam causam habet, si quid ab initio gestum sit dolo  
malo, & statim ab initio in re gerendâ ex hoc ipso dolo nascitur  
d. l. 2. in princ. Donell. loc. eod. Generalis quæ competit ex omni  
causa propter quam quoquo modo quid dolo petitur, quam vis  
res ab initio non fuerit dolo contracta, proindeque accommo-  
datur omnibus negotiis, omnibus judiciis d. l. 2. §. §. generaliter 5.  
l. qui equitate 12. D. de dol. mal. & met. except. Donell. loc. supr. allegat.  
Bocer. d. cl. 16. disp. 12. th. 14. Zang. p. 3. c. 13. num. 6. Competit itaque  
hæc exceptio cum fraus actoris arguitur. Ex eadem enim pro-  
ponitur causâ, ex quâ doli actio, d. l. 2. D. de dol. mal. & met. except.  
Et quidem 1. ex omnibus in factum exceptionibus doli oritur  
exceptio l. qui etate 12. D. d. tit. l. si quis 36. D. d. V. O. Vigel. in M. J. C.  
p. 7. lib. 23. c. 2. nisi actor causam ignoret cur non petere debeat  
l. palam 2. §. §. generaliter 5. D. de dol. mal. & met. except. si quis petit  
quod restitutus est. dolo 8. D. d. tit. l. in condemnatione 173. §. ult.  
D. de R. Jur. Zang. d. loc. num. 20. 3. Si quis contra voluntatem de-  
functi quid perat l. apud celsum 4. Spraterea 10. D. de d. l. mal. &  
met. except. exemplum proponitur in l. Pater 17. §. avus 1. D. eod.  
Hujus causæ exceptio est: nisi injusto vel rupto testamento exi-  
stente ab intestato petatur hereditas l. liberis 13. D. de dol. mal. & met.  
except. Sanè exceptio datur ei qui Actorem de dolo coarguere  
ejusque actionem hujus defensione infringere potest l. palam  
est 2. l. dolo 8. l. qui equitate 12. D. de dol. mal. & met. except. Eme-  
ric. à Rosbach. in prax. civil. tit. 42. num. 10. Sed quæri potest.

Utrum is cui hæc exceptio doli competit, repetere queat,  
si per errorem quid ultrò solvat, nec doli exceptione usus est?  
Aff. Doli etenim exceptio principaliter in favorem debitoris  
circumventi introducta est. §. 1. Instit. de Except. cui consequens  
est indebiti conditionem solventi concedendam esse, l. qui ex-  
ceptionem 40. D. de condict. indebit. Harpprecht. ad §. 1. Inst. de except.  
num. 21. Porro competit adversus eum qui decipit per text. supr.  
allegat. & l. procurator 11. §. in universum 1. D. eod. Zang. d. l. num. 71.

B

cum



cum verò exceptio hæc ex parte ejus cui objicitur personalis sit  
*d. l. palam. 2. contra alium non competit*, nisi qui dolum commi-  
sit, ejusve heredem quatenus ad eum pervenit *d. 2. § 2. l. si plu-  
res 17. § 1. l. in heredem 26. D. de dol. mal. Emeric. à Rosbach d. l. n. 11.*  
Alii ergò quam qui dolum admisit hæc exceptio non ob-  
stat, *l. apud Celsum 4. § metus causa 37. D. de dol. mal. § met. except.*  
nisi post litem cõtestatam dolo quid fecerit procurator *l. procur.  
u. in princ. vers. si post cui add. l. apud Celsum 4. § questum est an 18.  
D. de dol. mal. § met. except.* Vel nisi aliquis jussu alterius est sti-  
pulatus *d. l. 4. § mandavi 19. D. de dol. mal. exc.* Vel ex dolo tutoris  
pupillo agenti exceptio objiciat. *d. l. 4. § illa etiam questio 23. D.  
d. tit. add. Vigel in M. J. C. p. 7. lib. 24. c. 2. num. 60.* In summa adver-  
sus tertium, puta, cessionarium aut alium exceptio doli regula-  
riter non datur. Quemadmodum enim actio de dolo in per-  
sonam directa est, *l. item 16. D. de dol. mal.* ita & exceptio *l. palam 2.  
§ 1. D. de dol. mal. § met. except.* quamvis ex parte ejus qui oppo-  
nit exceptio doli sit in rem *d. l. palam 2. § 2. D. d. tit.* & ideò ad  
quemcunque transit res super quâ commissus est dolum, sed an  
sit commissus dolum in eâ re quæ petitur. *Marant. in specul. aur.  
part. 6. membr. jud. 9. tit. de except. num. 22.* Quod autem superius  
dictum, exceptionem hanc contra tertium non dari, in adhibi-  
tâ distinctione procedit. Aut enim dolum respicit ipsam obli-  
gationem & actionem, aut respicit personam ejus, qui ab initio  
cum debitore contraxit. Primo casu obstat exceptio etiam  
cessionario. Ubi cunque enim dolum commissus est in actionis  
acquisitione, cuicunque successore, etiam singulari, eâ utenti,  
obstare debet exceptio, quâ cedens & Autor doli esset removen-  
dus *l. apud Celsum 4. § si quis non tutor. 24. vers. secundum §. de auto-  
ris 27. de dol. mal. § met. except. Marant. in specul. aure. d. l. num. 20.*  
Altero casu quando dolum ex credentis personâ arguitur, subdi-  
stinguendum est, utrum cessionario cessa sit actio pretio acce-  
pto. *vid. Bocer. cl. 6. disp. 12. th. 15. Donell. lib. 22. cap. 6. ll. E. e.* an verò  
eam habeat ex titulo lucrativo. Hunc enim cessionarium exce-  
ptione removendum esse scribit Pomponius, quam sequitur,  
*Ulpianus in d. l. apud Celsum 4. § si quis autem 19.* patitur namque  
exce-



exceptionem de dolo ex causâ ejus in cuius locum successit. *d.*  
§ 29. Illi verò exceptio doli mali non nocet, vel exceptionem  
doli mali cessionarius non patitur, ejus qui ei cessit, præsertim  
quando cessio facta est consentiente debitore. *d. leg. 4. § si cum  
legitimâ 28. D. de dol. mal. & met. except.* nisi fortè fraudis esset  
parriceps *Zang d. part. 3. cap. 13. num. 77.* Sed dubitatio haud levis  
est: an doli exceptio, quæ adversus parentem vel patronum à fi-  
lio vel liberto proponi nequit. *d. l. apud Celsum 4. § adversus 16.  
D. eod. Zanger d. l. num. 72. Bachov. in not. ad Treutler. vol. 2. disp. 26.  
thes. 5. lit. B. C.* saltem contra heredem Patris patronive opponi  
possit? & non posse apparet *ex d. l. § 16. sed maximè adversatur  
l. Heredibus 13. D. de dol. mal. & l. si præteritus 12. D. de bonor. pos-  
s. §. contr. Tab. ad quos tamen respondent. Harpprecht ad § 1. In-  
stit. de Except. num. 25. 26. & 27. Wurmsfer. in nucl. Jur. controuv. disp.  
19. cont. 2. Pac. cont. 2. Evert. quest. 82.* Controversum præterea &  
illud est: an hæc exceptio doli infamet eum contra quem oppo-  
nitur, si victus fuerit? Indubitari siquidem juris est infamiam  
juris ex civilibus actionibus, minimè infligi, nisi per condemna-  
tionem. *l. 1. D. de his qui act. infam.* Is autem cui opponitur exce-  
ptio doli mali non condemnatur, etiam si victus fuerit: sed Reus  
absolvitur. Ergo non potest infamiâ juris notari, qui succu-  
bit in exceptione doli, quæ ipsi objecta fuit. Imò si doli ex-  
ceptio infamiam inureret victo, non posset cum aliâ exceptione  
concurrere: quemadmodum actio doli, ubi alia competit,  
locum non habet. *l. 1. § ait Prætor. 4. D. de dol. mal. l. de dolo. 2.  
C. eod.* jam verò exceptio doli concurret cum aliis exceptionibus  
omnibus, & ei tribuitur qui aliâ exceptione tutius est. *l. palam 2.  
§ & generaliter 5. D. de dol. mal. & met. except. Harpprecht. d. l. n. 29.  
30. & 31.* Illud quoq; hic notandum est, quod licet actio de dolo  
sit temporalis & biennio terminetur. *l. optimum ult. C. de dol. mal.  
Oldendorp. cl. 6. art. 11. num. 8.* exceptio tamen doli perpetuò com-  
petat, nec certo spatio finiatur. Ratio hæc est. Non enim ut  
Actor in suâ potestate habet Reus, quando utatur suo jure, sed  
dum demum quando convenitur. *l. pure 5. § non finit. fin. D. de  
dol. mal. & met. except.* Hinc vulgatum illud: Quæ sunt ad



agendum omnia vel temporalia ad excipiendum perpetua sunt  
l. licet 5. l. si pactum 6. C. de except. seu prescript. Zanger. d. l. num. 78.  
& 79. Harpprecht. l. alleg. num. 33. & 34. Denique cum exceptio  
doli difficilis sit probationis, propterea quod in animo homi-  
num consistat, arbitrantur Dd. dolum sicut & metum ex conje-  
cturis & praesumptionibus probari posse. l. dolum 6. C. de dol. mal.  
l. metum 9. & ibi gloss. C. de his quae vi vel met. caus. gesta sunt. Mas-  
card. vol. 1. tract. de probat. concl. 530. num. 2. Col. ad c. 1. x. de Except.  
num. 37. varias doli conjecturas refert, Gilhaus. in arbor. judic.  
cap. 5. ramusc. de Except. 10. num. 104. add. Zang. l. sup. alleg. num. 80.  
& seqq.

*nocere his quibus voluntas testatoris non refragatur*] Quemad-  
modum exceptio doli iis nocere solet, quibus voluntas testato-  
ris refragatur l. apud Cels. m 4. § prater 10. D. de dol. mal. & met.  
except. Sic contra quibus voluntas testatoris non refragatur,  
eis exceptio doli nocere haud potest l. scribit Quintus 34. § item  
scribit 1. D. de auro & argento mundo & c. legat. l. cum servus 15. in fin.  
D. de adimend. vel transferend. legat. Voluntas itaque testatoris fa-  
cit, ut etiam doli exceptioni non sit locus, cum alias quicumque  
petit id, quod exceptione eliditur, doli mali exceptione sum-  
moveri potest l. palam est 2. § generaliter 5. D. de dol. mal. & met.  
except. Unde etiam regula alias prodita est in jure nostro: Do-  
lo facit qui petit quod redditurus est l. in condemnatione 173. § fin.  
D. de R. Jur. c. dolo facit 59. eod. in 6. Exempir gratia: Testator  
cum filiofamilias legaret, nominatim cavet ut ipsi filio, non pa-  
tri solveretur legatum. Pater autem secundum dispositionem  
juris, nihilominus ad consequendum legatum actionem habet.  
Quia quicquid per filium acquiritur, exceptis Castrensibus &  
quasi castrensibus pecuniis, nec non proprietate peculii adven-  
titii § igitur 1. Inst. per quas person. cuique acquirit. l. cum oportet 6.  
C. de bon. quaer. liber. id patri acquiritur. Verum si pater actionem  
pro tali legato consequendo proposuerit, per exceptionem doli  
mali removebitur l. si ususfructus 14. § 2. D. Quand. dies legat. vel  
fideicommiss. cedit. Voluntas enim testatoris refragatur l. sup. cit.  
§ 10. D. de dol. mal. & met. except. ubi dicitur: Si quis quid ex te-  
stament





*amento contra voluntatem petat, exceptione eum doli mali repelli so-  
lere. Et c.* Si verò simpliciter filiofamilias legatum sit relictum,  
nec expressum, ut filiofamilias solveretur, pater agens ex testa-  
mento legatum consequitur, nec poterit doli mali exceptione  
submoveri, *juxta § hunc nostrum.* Non solet exceptio doli no-  
cere his quibus non refragatur voluntas defuncti. Continet igi-  
tur *hic §* exceptionem regulæ superius traditæ atque propositæ,  
Quæ exemplificari potest *per l. verum est 4. ibi: sicut enim cum to-  
tum peto à Reo male peto Et c. D. de Compensationib. l. 5. eleganter 7.  
§ servus pactionis 8. vers. ego moveor. D. de dol. mal. vid. Hen. dis. 4.  
hic. Philipp. Matib. num. 1. Et 2. Dec. num. 1. 2. Et 3. Et alios. idem*

Cæterum regula modo dicta, præter hunc *in § nostro* casum  
exceptum sapius officium suum perdit *arg. l. 1. D. b. tit.* Neque  
enim locum habet, si quis petat id, quod restitutus quidem est,  
sed alii quam ei à quo petit, veluti docet exemplum quod refert  
*§ Cius in l. si socer. 44. §. 1. ibi: nec ullam exceptionem habebunt soceri  
heredes adversus eum.* Cum absurdè dicitur dolo videri eum facere,  
qui non ipsi quem convenit sed alii restitutus petit. *D. Solut. matri-  
mon. quemadmod. dos petat.*

Deinde cum jura tantum possessori favorem ob bonum  
publicum indulserint, ut neminem quicumque tandem is sit,  
absque judiciorum ordine possessione privari volunt; non est  
mirum, quod regula hæc spoliato opponi atque obesse non pos-  
sit. Huic enim ante omnia restitui oportet rem, cujus posses-  
sione dejectus est, etiam si nihil omninò juris in istâ re habeat.

*text. notabil. in l. si quis 7. ibi: eademque protinus restituta C. ad L.  
Jul. de vi public. c. in literis 5. ibi: quia p. ado etiam est secundum vi-  
gorem juris restituendus X. de Restit. Spoliator. vid. omninò Gail.  
lib. 2. Observat 76. Et Dd. ibi citat. Dn. Carpz lib. 1. Responsor.*

*juris Electoral. tit. 1. respons. 1. Et 2. Berlich. p. 1.*

*concl. 21. n. 4. Et 5. Mynsing. cent. 3.*

*observat. 85.*

**B 3**

**LEX.**



## LEX XX.

*Quoties dubia interpretatio libertatis est*] Regula hæc locum sibi vindicat in iis obscuris, quæ aliquâ ratione intelligi possunt, Et ita non obstat. *l. cum ex pluribus 31. Dd. de manumiss. testam. ubique quidem ex conjecturâ colligi potest, de quo senserit testator. Hæn. & Hyppolie. à Coll. b. hïc.*

*Secundum libertatem respondendum ait.*] Ratio cur in dubiâ interpretatione libertatis secundum libertatem sit respondendum, hæc dari potest: quia libertati quæ est omnibus rebus favorabilior, favendum est *l. libertas. 122. D. b. tit. junct. l. 2. C. de Latin. libert. tollend.* Interest enim Reipub. nullos esse servos sed potius liberos & cives *l. cum inter. 41. C. de fideicommiss. libert.* Quando igitur causa liberalis movetur, altero se liberum asserente, altero verò servitutem prætendente, eoque res devenit ut constare non possit, liberne an servus ille pronunciandus sit, cum neuter suam intentionem satis probarit: hoc casu, secundum libertatem responderi jura volunt, præsertim cum multa in favorem libertatis introducta sint. Exempla plura videri possunt *in l. si servus 19. D. de Statulib. l. in obscura 179. D. b. tit. l. pœnales 32. Sult. D. ad L. Falcid. & apud Regulist. hïc.* Quod autem de libertate diximus, id omninò ad ætatem producendum esse existimamus. Etenim durum & iniquum, cum de statu alicujus ætatis quæritur, & diversæ professiones proferuntur, & potissimum stare quæ noceat. *text. notabil. in l. cum de ætate 13. D. de Probationib. junct. l. ferè in omnibus 108. D. b. t.* Item propter favorem dotis *l. si ego. 9. S. si res. 1. D. de J. dot.* (cujus præcipua semper & ubique causa est *l. 1. D. solut. matrimon.*) in ambiguis pro dotibus respondere melius est, secund. ] *Ct. in l. ambiguis 70. D. d. t. & l. 85. in pr. b. tit.* Exempli gratia, si res alicui tradidero, ut secutis nuptiis dotis efficiantur, & ante nuptias decessero: quæritur an dotis esse incipiant non secutis me mortuo nuptiis? ] *Ctus Ulpianus* respondet, benignius esse, ut imponatur necessitas heredi consentiendi ei, quod defunctus fecit, aut si id distulerit vel absit, nihilominus dominium dotis ipso jure transferri ad maritum, etiam nolente vel absente herede, ne alioqui mulier indotata sit.

*arg.*



*arg. l. 2. D. de de fur. dot. quamvis inspecto mero jure contrarium  
dici posse videretur. d. l. si ego. 9. S. si res 1. ubi vid gloss. & Dd. D.  
dict. tit. add. l. 70. & l. hac lege 8. C. de pact. convent.*

Tantum.

---

## Corollaria.

<sup>1.</sup>  
Contractus per se nullus rati habitatione  
confirmari nequit *Carpz. l. 5. tit 8. v. 76.  
num. 11. 20.*

<sup>2.</sup>  
Contrahens cum personâ minus habili cu-  
riosus esse debet de versione in rem.  
*Carpz. l. 2. t. 10. v. 106. num. 15. & l. 5. t. 8.  
v. 78. num. 18.*

<sup>3.</sup>  
Dolosum vel non dolosum cujusque ani-  
mum præsumptiones ac circumstantiæ  
facti declarant. *Carpz. in l. P. For. p. 4.  
c. 42. d. 9. num. 3.*

SOLI DEO GLORIA.





*Ad*  
*Eximium & Doctissimum.*  
**DN DAVIDEM CICHORIUM,**  
*Affinem & commensalem suum*  
*perdilectum.*

**N**atus profectò fidere prospero  
Coepit honestos na, Cichori, stude  
Adjam-statutos ducere limites,  
Spernis Vacuna desidiâ improbâ  
Vacando tempus fallere, nec placet  
Gratis sub umbris exspatiarier  
In prata, nec tu semper in herbula  
Gemmante captas stratus Etesias  
Levisimos, mens spernere Persicos  
Est apparatus, haut quoque decipis  
Zytho diem seu Gnosiaco mero;  
Nata remoto Sole vel herbula  
Fumum labellis semipatientibus  
Misum, per apta quem modo fistula  
Attraxerant, effundis in aëra,  
Nec Virginum vis Tripudii choris  
Jungi: Sed urges fervidus indies  
Metam Tibimet prepositam semel.  
Hinc, qui Sacratæ est Eunomies decus  
Dudum emicans, nunc Coselio Duce,  
Docti subisti prælia Circuli  
Tandem ad statutas pervenies Tibi  
Metas secunda latitia vacans

Georgius Bierling Budissinâ Lusat.  
SS. Theol. Stud.






X 2615918


VJ 17











DEO OPTIMO MAXIMO FORTUNANTE  
ENODATIONEM 1647  
**LEG. XIX. XX. TIT.**  
**PANDECTARUM** 19  
POSTREMI,

Quæstionibus materiæ subjectæ  
convenientibus illustratam, & ad disputandum!

*In Inclytâ Leucoreâ*

Ex Decreto atq; Autoritate Amplissimi  
Collegij Juridici propositam,  
PRÆSIDE


**HENRICO COSELIO**  
de Pezlinovez J. U. D. &c.

*Placido Eruditorum Examine  
subjiciet*

**DAVID CICHORIUS,**  
Hoerschvverdâ-Lufatus.

*Ad diem 21. Augusti.*

horis & loco consvetis.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

ANNO M DC XLVII.

